



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Recollectio Spiritvalis

Masen, Jacob

Coloniae Agrippinae, 1691

Capvt VI. De colloquiis piè utilitérque instituendis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60213](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-60213)

humilitate, maximè autem Christus ipse Servator noster, tanquam perfectissima virtutum omnium idea, nobis est proponendus. In hoc uno plura nos accendent. Nam

*præcipuè
Christi Domini vari-
is modis
considerati
affectus
promoven-
tur.*

Influit, exemplar, finis, docet, atque meretur.
Si enim hunc spectemus, *ut principium*, qui per gratiam suam influat, nosque excitet; si *exemplar* vitæ actionumque suarum proponentem; si ut *finem* denique gloriosum, cui, & in hac, & in altera vita conformemur; si ut *Magistrum* adeò sollicitè nos ad virtutem instruentem; si denique tam caro *pretio sanguinis sui*, hanc mihi occasionem salutis & divinæ gloriæ procurandæ *merentem*; quis non assurgat animo, omni que devotionis ardore inflammetur? Hoc fac, & vi-
ves.

Habes instructionem per brevem de affectibus; quæ non tantum res sacras Meditantibus, verum & pro Concione populi dicentibus ad inflammandos alios poterit deservire.

CAPUT VI.

De colloquiis pie utiliterque instituendis.

Colloquia cum Deo, Christo, aut Sanctis Dei, Meditationem solent concludere; tum ut *laudem* Deo dicamus in omnibus bonis ipsius, *gratiasque* pro beneficiis in nos

Ex hebd. I.
Exerc. 1. 2. &

Colloquiis
Meditatio
concludi-
tur.

Ex 3 hebd.
contempl.
3.

Ex hebd.
Exerc. 1.

collatis referamus : tum ut gratiam à Deo impetremus , ad implendum quod proponimus. Quæ licet in reliquis etiam Meditationis partibus queant usurpari , in fine tamen , qui ferventior esse debet , potissimum sunt adhibenda. Quod si ad Deum fiant, concludi per orationem Dominicam poterunt, si prolixius instituta, primò intercessionem Sanctorum, aut Deiparæ Virginis, & Mediationem Christi hominis apud Deum postulent , ac denique ad Deum Patrem dirigantur. Primum colloquium ad Deiparam, per *Ave Maria* : alterum ad Christum, per *Anima Christi* : tertium ad Patrem, per *Pater noster* concludatur.

Ut verò hæc colloquia majori devotione peragantur, consultum erit, pro ratione materiæ, nunc *personam Rei* induere, *Judicem suum deprecantis* : nunc *Servi exorantis* Dominum, nunc *Filiy cum Patre*, *Sponsæ cum Sponso* , aut *amici cum amico loquentis*. Hæc colloquia Deus ipse, aut etiam Sancti nos invitantes, rectè nonnunquam auspicari poterunt : ut hæc nos invitatione excitati, majori fervore accuramus. Cum in his præcipuus director esse debeat Spiritus S. *qui postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus*. Nonnunquam etiam omnes creaturæ nobiscum ad laudes Deo concinendas adhiberi poterunt, ut ab Hebræis in Babylonia fornace adolescentibus egregiè factum legimus.